



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Illvstri Regi Siciliae.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20006**

gamus, monemus, & per apostolica tibi  
lcripta mandamus, quatenus Cardinales  
ipos tanquam Legatos apost. sedis sus-  
cipiens humiliter & devotè, vel ad ipsos  
vocatus accedens, quæ tibi ex parte no-  
stra duxerint proponenda, humiliter au-  
diás, & efficaciter prosequaris. Ad obse-  
quium etiam nostrum & regni defensio-  
nem taliter accingaris, ut cùm manda-  
tum nostrum ad te iterum emanarit, ni-  
hil te prorsùs detineat, quin, si necesse  
fuerit, nos sequaris, vel ad resistendum  
inimicis regni & Ecclesiæ juxta disposi-  
tionem nostram procedas.

PANORMITANO, CAPVANO,  
Regin. & Montis Regalis Archiepiscopis,  
& Episcopo Trojano.

Epist. 564.  
Ejusdem agu-  
menti.

**P**RÆTER generale debitum officij pa-  
storali, per quod universis Christi  
fidelibus & singulis provinciis, in quibus  
nomen colitur Christianum, solicite co-  
gitare tenemur, illa prærogativa dilec-  
tionis & gratiæ, quam prædecessores  
nostræ circa regnum Siciliæ præteritis  
temporibus habuerunt, & fidei ac devo-  
tionis synceritas, quam idem regnum &  
Principes ejus ferè semper exhibuerunt  
apostolicæ sedi, ad providendum eidem  
regno specialiter nos inducunt: quibus  
nunc causa potior & urgenter superven-  
it, cùm inclytæ recordationis Constan-  
cia Imperatrix carissimi in Christo filij  
nostræ Friderici Siciliæ Regis illustris tu-  
telam & regni balum nobis testamento  
reliquit, & nos super utroque ab omni-  
bus asscurar mandavit. Licet autem te-  
stamentum Imperatricis ejusdem nobis  
expectemus per vestros nuntios destina-  
ri, quia negotium dilationem non capit,  
cùm Marcoaldus Dei & Ecclesiæ inimi-  
cus, persecutor regni, non dormiat, sed  
regnum perturbare immo etiam occupa-  
re cum suæ iniquitatis fautoribus molia-  
tur, dilectum filium nostrum G. sanctæ  
Mariæ in porticu Diaconum Cardina-  
lem, apostolicæ sedis Legatum, virum uti-  
que providum & discretum, verum & ve-  
terem regni Siciliæ amatorem, qui pro  
honore ipsius nullius erubuit faciem po-  
testatis, quem inter fratres nostros spe-  
ciali diligimus caritatis affectu, in Sici-  
liam duximus destinandum, vices nostras  
ei tam super hoc quam alii negotiis cō-  
mittentes. Credimus enim quod per \*dis-  
positionem & providentiam ejus in fide-  
litate Regis ipsius & devotione nostra

regnum solidabitur universum, & mali-  
gnantium perfidia confundetur. Ideoque  
fraternitatem vestram rogamus, mone-  
mus, & exhortamur attentiùs, ac per  
apostolica vobis scripta præcipiendo  
mandamus, quatenus Legatum eundem  
tanquam personam nostram recipientes  
humiliter & devotè, taliter ei super no-  
stris & ejusdem Regis negotiis assistati-  
quod in hoc manifestius appareat fides  
vestra, & ex eo tam piam Imperatricis  
dispositionem de vestro, sicut jam credi-  
mus, cognoscamus processisse consilio,  
quod eam non patiamini effectu debito  
defraudari. Nos enim nec labor personæ  
nec ulla negligentia revocabit ab illis  
quæ nos facere deceat, & tanto videan-  
tur negotio expedire. Attendentes igitur  
qualiter nobis & Regi teneamini me-  
morato, ad honorem & salutem ipsius &  
nostram utiliter & efficaciter eidem Le-  
gato curetis adesse, dispositionem & sta-  
tuta ipsius velut nostra recipientes hu-  
militer, & inviolabiliter observantes,  
cùm de sinceritate ac industria vestra in-  
dubitata fiduciam habeamus. Præca-  
vere vobis & regno ab insidiis Marc. qui  
licet aliud mentiatur, regnum tamen non  
Regi sed sibi usurpare contendit, & in  
vos & alios Teutonicorum cædes &  
suam & suorum injuriam vindicare: de  
quo non est aliquatenus diffidendum,  
cùm etsi contingat eum in regnum  
procedere, non tamen proficeret immo-  
potius deficeret labor ejus; præsertim si  
Sicilia fideliter in ejusdem Regis fidelita-  
te ac Ecclesiæ Rom. devotione persistat.  
Nos autem contra eum validum exerci-  
tum destinamus.

### ILLUSTRI REGI Siciliæ.

**Q**VOD prima primi lactis pocula  
tibi Dominus ab initio miscuit,  
quod vix bene balbutientem infantiam  
quasi continuata reddidit lamentatione  
disertam, & recenti pueritiæ non solùm  
recentem sed & repetitum amaritudinis  
calicem propinavit, tibi tanquam spe-  
ciali apostolicæ sedis filio specialiter  
condolemus, & tecum pariter & in te  
propinata tibi amaritudinis violentiam  
experimur. Recepimus enim per dilectos  
filios magistrum G. Subdiaconum no-  
strum & L. judicem nuntios tuos, viros  
peritos, providos, & discretos, tuæ ser-  
nitatis literas, doloris & gemitus expref-  
sionem.

Epist. 565.  
Consolatoria  
super morte pa-  
tris & mattis.

Sij

\* dispensatio-

sivas: quibus & patris decessum, & matris obitum, ætas tenerrima deploravit, ut pote quæ primùm utrumque flere didicit, quām elementis plenè alterum nominare. Nondum enim regalis infantia super morte patris consolationem acceperat, & dolorem antiquum superveniens doloris novitas innovavit, & pueritæ tuæ primitias eorum deputavit exequiis quorum obsequiis secundùm naturæ iura juvari debuerat & sollicitius & diligentius enutri. Verùm pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, nobis & tibi super hoc consolationem obtulit salutarem, & in eo tibi consuluit in quo te visus fuerat aliquantulum asperè visitare. Sanè ne, si parceret virgæ, te secundùm Salomonem videretur odisse, aut si te non corriperet, à dilectione sua infantiam tuam ostenderet alienam, cùm juxta testimonium sacrae scripturae, quos amat arguat & castiget, ut quòd te in primis infantia tuæ annis in filium adoptaret ostenderet, & tatis tuæ primitias misericorditer visitavit, qui castigat omnem filium quem recipit, & facit in tentatione proventum. Vt autem id evidenter indicis evidentius demonstraret, Vicarium suum ad tutelam tuam misericorditer deputavit, patris defectum patre tibi digniore secundùm miserationum suarum multitudinem recompensans, & matrem tibi meliorem restituens pro matre defuncta, eam scilicet sub cuius capite læva ejus, & dextera ejus, sicut in Canticis legitur, amplexatur: ut dum ipsa te sicut filium fovet, eum à quo castis confovet amplexibus, ad tutelam tuam & protectionem inducat. Nos igitur, qui præter debitum officij pastoralis, quo sumus singulis & præsertim pupillis & orphanis debitores, te tam ea ratione quòd inclita recordationis Constancia Imperatrix mater tua nostra te tutela commisit, quām eò quòd regnum Siciliæ ad patrimonium Ecclesiæ pertinet, diligere volumus & fovere, ad honorem & incrementum regiæ celstitudinis, statum regni, & fidelium tuorum profectum dante Domino efficaciter intendemus, & circa te paternam curabimus solicitudinem exercere. Monemus igitur serenitatem tuam, & exhortamur in Domino, quatenus omni penitus meroe deposito, effugatis tristitia tenebris, exultes

in Domino, & in eo consolationis suscipias medicinam qui pro temporali spiritualem tibi patrem providit, & in matris obitu matrem Ecclesiam maternam solitudine tuæ indoli deputavit; ut factus postmodum vir, & in regni solio solidatus, eam amplius venereris, per quam te cognoveris exaltatum. Dictos autem nuntios tuos serenitati tuæ propensiū commendamus, quos magnificentia tuæ fideles & in commissis sibi negotiis exequendis sollicitos sumus & diligentes experti; rogantes celstitudinem tuam, & monentes, ut eos intuitu benigno respicias &c.

PANORMITANO  
Archiepiscopo.

**C**irca statum Ecclesiarum, in quibus est ordo regularis statutus, in melius reformandum solicitorum te credimus & attentum ut, in eis ordo desperitus restauretur. Sanè significavit nobis dilectus filius nobilis vir R. Comes de Agello, quòd bona memoria M. Cancellarius pater ipsius monasterium quoddam in civitate Panormitana fundavit, & in eo fratres Cisterciens. induxit: quibus exinde recendentibus, Teutonici monasterium ipsum per laicalem potentiam occuparunt. Volentes igitur ut eidem monasterio tua solitudine succurratur, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus, si res ita se habet, amotis inde Teutonicis memoratis, abolitum inde ordinem Cisterciens. fratrum reformatos. Quod si regula non patitur, pro eo quòd in civitate inter hominum frequentias est constructum, cum consilio & assensu ejusdem Comitis & fratrum suorum fratres alterius ordinis in eo nostra fretus auctoritate institutas, qui Domino in eo jugiter famulentur, & regularia servent in perpetuum instituta. Datum Laterani VI. Idus Februarij.

MAGISTRO ET FRATRIBVS  
Hierosolymitani Hospitalis.

**I**n totius Christianitatis dispendium, apostolicæ sedis opprobrium, & animarum vestrarum periculum controversia quæ inter vos & dilectos filios nostros fratres militiae Templi, super quibusdam possessionibus constitutis in tenimento Margati & Valeniae, vertebar, nocendi magnitudine ferè universas hujus

Epi. 166.  
Curam &  
restauracionem  
monasterij Pa-  
normitanum con-  
mittit.

Epi. 167.  
Vi cauam fui  
contra fratres  
militie Templi  
juce, non vi  
prosequantur.